Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35054
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



pocius quam persone que promovet commodum pertinere. Sed vestre devotissimis affectibus supplicamus quatenus acceptacionem huiusmodi dignetur clemens vestra benignitas ac veluti beneficio disposicionis sedis apostolice specialiter reservato gratiose et canonice confirmare ne viribus careat apostolicis exspectacionis indulta nec alterius importunitas utilitati dicte ecclesie ambiciosum afferat nocumentum. Datum Florencie etc.

Domino paduano

Magnifice domine frater et amice carissime domesticos et amicicie plenos apostolicos Magnifice vestre nuper accepimus quorum scilicet inter amicabiles metus et gaudia fluctuamus parum per eterem trepidacionis accepimus videntes in malicia temporum genitorem omnis curie causas que levamen vobis in tantarum rerum fortuitu defuturum. Vir quidem alti animi magnique consilii est quarum alterum etas nostra Italia tota non habuit ut si velut oratores accensi vestre caritatis ignibus metuamus vestra non debet caritas admirari. Sed aspicientes paduanum populum vobis rerum gubernacula demandasse profecto gaudemus sperantes ipsos principem quem eligentur plenissima concordia defensuros. Qui autem vestra caritas tam fraterne et tam amicabiliter offerunt se nobis agimus presentibus gracias quas libentius cum se causas obtulerit referemus. Intendentes amiciciam vestram cum securitate requirere vobisque versa vice quantum se possibilitas extenderit complacere. Eternum autem illud numen cuncta regens cunctaque gubernans felicis vestri dominatus auspicium ut inclitam Carrarie domum quam naturaliter diligimus quamque semper fovemus semperque fraternis favoribus prosequemur regere cum prosperitate patriam bello paceque cunctis temporibus videamus. Datum Florencie.

Fabriano.

Amici carissimi dolemus quod cum sciamus vestri fore propositi in libertate vivere et omni eterne Tyrannidis iugo discusso vestrates in patriam revocare vos videmus servituti barbarice reservari et cladibus bellicis invitos opponi. Sed si viri estis vos si esse generis Italici non estis obliti patriam salutem ad manus habetis. In vobis siquidem est qualem vite statum debeatis habere. Si vos servos futurum esse decernitis intra vos qui adhoc urgeant conversantur. Si libertatem optatis non vobis auxilia nostra et totius lige deficient quibus facile poteritis liberacionem vestram si volueritis procurare. Quo circa amici carissimi nolite in tanto negocio constantia mentis torpere sed vobis et posteris vestris acquirite dulce munus suavissime libertatis. Non opus erit magno periculo. Nam si voluntatem vestram senserimus adherimus in opportuno tempore vobis valida subsidia prebituri quibus sine sudore et sanguine maiorem omni laboremque et eciam vita nostra poteritis asserere libertatem. Datum Florencie etc.

Fratres carissimi cum infinitas artes mortalium genus invenerit quarum partem fore et necessarias partem utilitatem afferre et aliquas honeste recreationis delectaciones gingere videamur. Sed illos precipue quos adeo virtutis habitus supra communem modum evexit quod ipsarum

117v